

*Lib. XLII. Tit. I.***De Re judicata, & de effectu sententiarum & interlocutionibus,**

§.1. *Res judicata* dicitur, quando finis controversiæ sententiâ judicis competentis imponitur vel condemnatione, vel absolutione.

§.2. *Sententia* judicis est

1. *Interlocutoria.*

2. *Definitiva*, qua ipsa causa principalis deciditur. Cujus

§.3. *Requisita* :

1. *Judex* pronuncians vel ipse, vel per actuarium, sit *habilis*, competens, pro tribunali sedens, loco consueto, *partibus* earumve procuratoribus *presentibus*, *expresso* judicis & partium nomine, recitando sententiam ex periculo (quasi breviculo) quo concepta est.

præcedente legitimo processu.

2. *Sententia* sit super totâ causâ (nisi pars diversum litis caput fa-

1. *Juri* conformis. (ciat)

2. *Libello* conformis, si sit definitiva.

3. *Actis* congrua.

Judex inferior nec contra conscientiam, nec contra acta judicabit, sed in casu contrarietatis rem superiori committet.

4. *Certa* vel per se, vel per relationem ad certum.

§.4. **INTERESSE** incertum sententiâ determinandum est, & quidem

1. Ob singularem *dolum* vel culpam, Interesse excedere potest duplum rei petitiæ, utilitate etiam extraneâ spectatâ.

2. Ob nudam *non præstationem* non excedit alterum Tantum, spectatâ communi functione, (non affectione) & utilitate proximâ circa, non extra, rem.

3. *Interesse* conventum non extenditur ad duplum.

Yyy 2

§.5.